

commendat, (quam Tacitus (n): Imperatoriam breviter appellat) & ut quæ necessario, & opportuno tempore proferuntur, nimis attentè pensatè dicantur, ut pluribus sacræ Scripturæ locis Pat. Joannes Antonius Velazquez (o) ostendit, & apertius lex nostra Partitæ (p), dum monet: *E porende todo ome, è majormente el Rei se debe mucho guardar en su palabra, demanera que sea acatada, è pensada, ante que la diga. Ca despues que sale de la boca, non puede ome hacer que non sea dicha. Et alibi (q): Ca el mucho hablar hace envilecer las palabras, facile descubrir las puridades; è si èl non fuere ome de gran seso, por las sus palabras entenderán los omes la mengua que ha del. Ca bien así como el cantaro quebrado se conoce por su sueno, otrosi el seso del ome es conocido por la palabra. Quam comparationem sumpsit ex illo Persii (r).*

Sonat vitium percussa maligne
Respondent viridi non coëta fidelia limo.

Et ex ea nobile quoddam symbolum in hanc rem dictus D. Didac. Saavedra (s) formavit, ubi alia ad idem allegat.

35 Nos enim cum Julio Candido apud Plinium Juniorem (t), & aliis (u), loquentiam seu loquacitatem ab eloquentia distinguimus, & illam, quia in multiloquio consistit, fatuam, periculosam, & Regibus haud doctè indignam esse fatemur, ut Salomon idem (x) nos admonet, inquit: *In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.* Eloquentiam verò, cum brevitate conjungi posse agnoscimus, brevique sermoni multum prudentiæ, ut ait Sophocles, inesse posse, & hanc, ejusque usum in nostro Rege desideramus, non ignari orationis prolixitatem multa mala secum afferre solere, quæ benè Joannes Nevizanus (y) expendit, brevem autem prudentemque sermonem, ut Origenes tradit, libentius, & attentius audiri, & melius memoriæ commendari.

36 Unde legimus Phocionem apud Atheniensium concilium verba facturum, majori studio cogitare solitum fuisse, quid orationi detraheret, quàm quid in ea dicturus esset. Quod refertur, & laudans Erasmus (z): *Alii (inquit) solliciti sunt, ut quàm plurima dicant, quo videantur disserti: illi diversa erat cura, nimirum ut quæ ad rem faciebant, verbis quam paucissimis complecteretur, & sententiose breviloquentiæ consuleret.*

37 Et profectò, cum nihil aliud eloquentia omnis sit, quam ars benè dicendi: nemo quidem benè dicet, nisi qui quædam taceat, & cum miserum sit loqui non posse, pejus tamen loqui, ubi tacere oportet, summæ verò felicitatis, sed quæ paucis contingit, ex prudentiæ rationisque dictu, & benè loqui posse, & benè tacere.

38 Quo melius adhuc edocuit Divus Augustinus (a), dictum Proverbiorum locum exponens, ostendensque non multam ibi eloquentiam, sed multiloquium reprehendi: *Multiloquium autem est (inquit) superflua loquutio, vitium scilicet loquendi amore contractum. Plerumque autem loqui amant, etiam qui nesciunt quid loquantur, vel quomodo loquantur.*

39 Ceterum de hoc hæc tetigisse sufficiat, & exempli loco Regis nostri Potentissimi orationem, de qua supra (b) diximus, multa paucis complectentem. Nunc ne me aliquis, dum brevitate laudo, longum vel loquacem appellet, contentus ero hanc commentationem Cassiodori (c) verbis finire, qui Amalasuentam Italiæ Reginam laudans, ac veluti in exemplar bonorum Regum proponens, inter alia, quæ in ea eximè commendat, hoc extollit, quòd esset, *In tractatibus acuta, sed ad loquendum summa moderatione gravissima; & paucis verbis sensum clauderet infinitum, & summa facilitate componeret, quod ab aliis nunc sub longa deliberatione formatur.* Semperque tam in Regibus, quam in quibusvis privatis hominibus illud Ciceronis (d) certissimum erit: *Eloquentiæ sermonis copia sine ratione, & sapientia nocet aliquando, rarè aut numquam prodest. Sapientia verò sine eloquentia, prodest semper, numquam obest.*

EM-

(n) Tacit. lib. 1. Histor.

(o) P. Velazq. de Opt. Princip. lib. 2. annot. 19. ex pag. 304.

(p) L. 1. tit. 4. part. 2.

(q) L. 5. d. tit. 4. part. 2.

(r) Pers. satyr. 3.

(s) Saaved. Empr. 11. pag. 72.

(t) Plin. Jun. lib. 5. ep. 20.

(u) Sidon. lib. 7. epist. 2. lib. 9. epist. 9. D. Isid.

lib. 10. etym.

(x) Proverb. 10. 19.

(y) Nevizan. in sylos, 4. part. num. 17.

(z) Erasmi. lib. 4. apoph. pag. mibi 306.


(a) D. Aug. lib. 3. contra Crescon. cap. 1.

(b) Sup. in Epist. Dedicat.

(c) Cassiod. lib. 10. epist. 4.

(d) Cicero. in Prolog. Retor.

EMBLEMA XXVIII.
UNDIQUE ILLÆSUS.



Quàm purum, quàm læve micat, quàm candidat altè
Hoc speculum, quo nec sistere musca potest.
Sis tibi Rex speculum, tua sit crystallina vita,
Non aderit nebulo, si tibi nævus abest.

COMMENTARIUS.



Icet fortasse aliquis, multa Nos in bono nostro Principe benè educando atque instituendo requirere; sed si munus cui destinatur attendat, videbit profectò, in quolibet, tametsi multis polleat, plura desiderari, & ita in cunctis præstare debere, tamquam si universa ad singula reduxisset. Verum reddens illud, quod falsò, & per lænocinationem, de suo Silicone dixit Claudianus (a):

Et que sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt, & que diversa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Et talem se ostendens, ut juxta Cyri, & Alphonso Regis (b) Apophthegmata; non solum imperio & dignitate, verum virtutibus, & omnibus artibus Regno gerendo necessariis, suis subditis præstet, tantoque his melior & sapientior existat, quanto, loco, & honoribus antecellit. Atque (ut verbo dicam) tam sibi, quàm suis, tersum adè & lavigatum se speculum exhibens, ut ne muscæ quidem (quæ apud Ægyptios, & alios semper improbitatis, impudentiæ, & pertinaciæ symbolum fuerunt (c) & earum similes nebulones, momi, zoili, ac sycophantæ, in eo pendem figere possint, nec quidquam reperire, quod jure censi notari vè mereatur.

2 Et hoc est quod præsentem Emblemate designamus, ex Plutarchi (d) penu deprompto, qui eadem comparatione utitur ad probandum, aliquos in tristibus tantum, & diversis hæcere, quam Nos melius eò deducimus, ut probemus, bonos & candidos Principes, improborum calumniis non subjacere.

3 A qua non abest Virgilius (e) dum in viro bono, quem elegantissimè describit, inter alia exigit, ut sit,

Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
Externe ne quid labis per lævia fidat.

Cui

(a) Claud. de laudib. Silic. lib. 1.

(b) Cyri. apud Plut. in Apoph. Alph. apud Panorm. lib. 4.

(c) Piet. lib. 26. fol. 190. & seq. Pontan. in bellar. Art. 2. part. pag. 199. & plura de speculis, & ejus usu, & sym-

bolis Mersin. in Genes. ex pag. 510.

(d) Plut. in Moral. & ap. Lycosten. in similib. pag. 52.

(e) Virg. in descript. viri boni, post ejus opera, quam alii Ausonio Gallo tribuunt.

Cui simile est illud Horatii (f) de viro sapiente:

*Fortis, & in se ipso totus teres atque rotundus
Externis ne quid valeat per leuē morari, &c.*

4 Et in eandem ipsam respexisse videtur Ludovicus Ungariæ, & Boemiæ Rex, de quo in suis symbolis narrat Strada (g), quod pro Symbolo Speculum sumpsit, cum Iemate: Undique illæsus, ut denotaret, animi sui candorem, sive lævorem, nihilque sibi consciū esse, ob quod ab æmulis vel invidis morderetur.

5 Divus etiam Gregorius Nazianzenus (h) Christianum gubernatorem esse vult, tamquam argentum, vel aurum undique versatum, & in quibuscumque temporibus ac rebus probatum, nullaque ex parte adulterinum quicquam sonare, aut ære ad mixtum, nihilque vilioris materiæ, & dignæ ardentiore igne in se ipso ferre.

6 Et quidem nihil magis Regibus ac Principibus convenit, quam ut sibi ipsis speculum sint, hoc est se ipsos in se ipsis frequenter inspiciant, & contemplantur, tamquam in speculo, atque ita se noscant, & ut cum Virgilio, sive Ausonio iterum loquar:

*— Justo trutinæ se examine pensent,
Ne quid biet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut cocat, nihil ut deliret amissis:
Sit solidum quodcumque subest, nec inania subts
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.*

7 Unde Pierius (i) Valerianus ait, esse quosdam, qui speculum explorationis signum esse velint, propterea quod & nævi, & rugæ, & uniuscujusque color, & alia quæ forent incognita, indice speculo deprehenduntur. Et Socrates, nihil adeo, quam speculi usum discipulis suis commendasse dicitur, utpotè in quo boni bona sua intueri æstimareque possent, & deformes deformia cognoscentes, ea emendare curarent, ut latius Apulejus (x) exponit: quem prævit Seneca (l) sic post alia de eisdem speculis inquit: Speculum in quod adspicimus, datum nobis à natura fuit, non ut pilos è superciliis, aut barba velleremus, non ut faciem inficeremus coloribus, non ut rugas traheremus; sed ut nos metipsos notemus, moresque, illius intuitu, in melius formemus, prout antiquos illo usos fuisse cognovimus, &c.

8 Et in idem tendit fabula Faerni (m), de monito patris, cum formoso filio, & deformi filia loquentis:

*Quotidie speculo vos uti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitia mali;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.*

Neque aliud docent Monastica illa jambica, eorundem speculorum usum ita graviter describentia:

*Inventa sunt specula, ipse homo ut se nosceret:
Intuere specula; te ipsum quid deceat speculum docet.
Qui speculum sanè intuetur, officii meminit sui.*

9 Accedit his alia non minùs congrua speculi cum Principe comparandi ratio, videlicet, quod talem se suis exhibere debeat, & ea vitæ luce candoreque nitere, ut illis se tamquam purissimum speculum præbeat, quod semper absque ulla macula contueantur, & in quod pariter respicientes, ipsi suos motus moresque componant. Quod vel ad eosdem Principes tersiores, modestiores, continentioresque reddendos, plurimum sanè operari debet. Eoque tendit illud David (n): Oculi servorum in manibus dominorum suorum. Zachariæ (o): Super lapidem unum septem oculi.

10 Et expressiùs Alfonsus Rex Noster, quatenus in una ex suis legibus (p) inquit: Porque los omes tomen exemplo de ellos, de lo que les ven facer: è por esto dixeron por ellos, que son como espejo en que los omes ven su semejanza de apostura, ó de enatieza. Et in alia (q) eosdem exhortans ad bonum hoc exemplum subditis suis præstandum, sic habet: E otrosi para mantener bien su pueblo, dandole buenos exemplos, para que fagan bien; ca non podria él conocer á Dios, nin lo sabria temer, nin amar, nin otro si bien guardar su corazon, nin sus pala-

(f) Horat. lib. 2. serm. 7.
(g) Strad. in Symbol. pag. 55.
(h) Nazianz. in Apol. pag. 24.
(i) Pier. lib. 42. fol. 307.
(k) Apulej. Apol. 1.
(l) Senec. lib. 1. natur. quest. cap. ult.

(m) Faern. Fabul. 47.
(n) Psalm. 122. 2.
(o) Zachar. 3. 9.
(p) L. 4. tit. 5. part. 2.
(q) L. 6. eod. titulo, & part.

labras, nin sus obras, nin bien mantener su pueblo, si es castumbres, é maneras buenas non oviesse. Quæ ultima verba mutuata videntur ex illis Seneca (r): Si vis tibi omnia subjicere, subijce te rationi; multos reges, si ratio te rexerit; ab illa disces quid, & quemadmodum aggredi debeas.

11 Et proprius, ad speculi representationem de qua loquimur, alludens Evagrius (s), ita loquitur: Imperator non ex eo quod aliis imperat, spectari debet, sed ex eo, quod seipsum ita regere, & moderari potest, ut nullum absurdum voluptatis genus sinat in animum irrepere, sed ita invictum se ab intemperantia præstet, ut vita ejus sit tamquam imago virtutis, quam imitentur subiecti ejus, & ad virtutem erudiantur. Et Paulus Manutius (t) dum habet: Est enim ita more comparatum, ut in eorum qui imperant vitam, ii qui parent, veluti in speculum intuentes, dicta simul & facta diligenter animadvertant: inde oritur cupiditas imitandi, inde fit, ut aut virtutes emanent, aut vitia deriverentur.

12 Antiquior his Juvenalis (u), hanc quoque temperantiam in magnis Potestatibus, vel ob id, quod omnium oculis patent, ita suadet,

*Omne animi vitium tanto conspectus in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.
Secretum dicitis ullum
Esse putas, homines taceant, jumenta loquentur.*

Et Seneca Tragicus (x) nullum domus Regiæ vitium in occulto esse posse, sic ait:

Pellucet omne Regiæ vitium domus.

Et Ovidius (y) elegantissimè, Liviam, vel ex hac causa ad probos mores servandos suadens sic inquit:

*Imposuit te alto fortuna, locumque tenere
Jussit honoratum Livia, perfer onus,
Ad te oculos auresque trabis, tua facta notamus,
Nec vox missa potest Principis ore regi,
Alta mane, supraque tuos exurge dolores,
In fragilemque animum quo potest usque tene.*

13 Plutarchus (z) etiam idem ostendit, hac eleganti similitudine utens. Quemadmodum majori solent haberi dedecori, notæ in facie, quam in reliquo corpore, sic etiam minima Principum errata notantur. Quia ipso non relato, usum comperio Erasmum (a), & Arnoldum Ferronum (b), ut & illa Solis Seneca (c), de Nerone agens in hunc modum: Tibi non magis, quam Soli, latere contingit. Multa contra te lux est: omnium in ista conversi sunt oculi. Prodiere te putas? Oriris. Loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quæ ubique sunt gentes excipiant.

14 Quem imitatus videtur Plinius Junior (d), sic scribens: Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: Principum verò non modo domus, sed cubacula ipsa intimosque recessus recludit, omniaque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat. Cassiodorus (e) inquit: Non patitur claritas illa committere, quod possit mobilis turba nescire. Et non minùs eleganter Claudianus (f), Honorium Imperatorem sic Patris nomine instruens:

*Hoc te præterea crebro sermone monebo
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas: cunctis tua gentibus esse
Facta palam: nec posse dari Regalibus usquam
Secretum vitii: nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusus explorat fama recessus, &c.*

Et breviter eo versu complexus fuit Guntherus (g):

Abscondat Solem, qui vult abscondere Reges.

V

Qui-

(r) Senec. epist. 37.
(s) Evagr. lib. 3. hist. Eccles. cap. 1.
(t) Paul. Manut. lib. 11.
(u) Juven. satyr. 8.
(x) Senec. in Thyestib.
(y) Ovidius ad Libiam.
(z) Plutarc. in mor. in lib. de Polit.

(a) Erasm. in simil. fol. 1.
(b) Ferron. de gest. Franc. lib. 3.
(c) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 5.
(d) Plin. Jun. in Paneg. ad Trajan.
(e) Cassiod. lib. 3. epist. 11.
(f) Claud. in 4. Cons. Honor.
(g) Gunth. in Ligur.

15 Quibus locis similia alia addit eleganter de hoc tractans Joannes Sarsberiensis (b), & Erasmus (i), docens, ea, occasione Adagio fecisse: *Regum casus omnes norunt*. Et Philippus Camerarius (k), hinc meritò colligens, debere Principes, non sceleribus, sed virtutibus, & bono exemplo immortale nomen sibi parare. Teste enim D. Gregorio (l): *Summus locus bene regitur, cum is qui præest, vitilis potius quam subditis dominatur*.

16 Et cum secundùm supra relatos, & Quintilianum (m), quò ad altiorem quisque honorum gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus pateat, hoc efficere debet, ut minus sibi quàm privatis licere cognoscat, ut præclare hæc omnia jungens, monuit Sallustius (n), dum dixit: *Qui magno Imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorumque facta cuncti mortales novere; ita maxima fortuna, minima licentia est*.

17 Et Ego hic commonendum censeo, ut turpem illam vocem turpium, & depravorum Principum procul à bonorum, & Christianorum aulis amandemus, qui Regiam & Imperatoriam Majestatem in eo consistere putant, ut nullo justis vel injustis, nefandi discrimine habito, id omne sibi licitum, quod libitum, arbitrentur, & voluntatem, voluptatemve suam cum potestate metiantur. Quæ vox jam olim Caligulæ, & Neroni, ut Suetonius (o) ait, excidisse videtur, sentientibus, *Omnia sibi in omnes licere*; & liberius Julæ, Caracallæ novercæ, cujus complexus cum ille ardere cœpisset, & sola honesti ratione contineretur, optareque sibi licitos esse, significaret, illa inverecundè, Spartiano (p) teste, respondit: *Si libet licet, an nescis te Imperatorem, & leges dare, non accipere*; prout & in simili, Cambysi, incestas sororis nuptias concipienti, à Satrapis Persarum responsum fuisse, Herodotus (q) commemorat. Unde Memmius apud Sallustium (r) pronuntiat: *Impune quilibet facere, id est Regem esse*. Et Calpurnius Flacus, Regis orationem esse dixit, *Libuit, & licuit*. Et Seneca Tragicus sub Tyranni persona, Precario regnari, ubi ea tantum quæ justa sunt, Regnantibus licent. Et Philippus Augustus (s), Francorum Rex, Principibus nonnullis id sibi persuasum ait: *Ut quodlibet liceat, quod liceat possint, quod possint audeant, quod audeant faciant*.

18 Ejusmodi etenim, & similes voces, Tyrannorum potius, quam Justorum Principum sunt, quos Nos sibi, & suis speculum esse debere, & dicimus, & optamus. Certè enim his, non solum non debent licere, quod lubet, verùm ne id quidem quod licet, nisi & simul honestum sit, ut aliud agens inquit Jureconsultus (t), & in ipsis de quibus loquimur terminis Seneca Tragicus (u) inquitens:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Et eleganter Claudianus (x), semper præoculis habendus:

*Sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit
Occurrat, mentemque domet, respectus honesti.*

19 Et re vera, ille verus est Rex, seque hoc nomine, & titulo verè dignum ostendit, cui (ut modò cum Sallustio dixi) *In maximo Imperio minima licentia est*; & non detestandas illas voces, quas retuli, sequitur, sed Senecæ (y) illas: *Minimum debet licere, cui nimium licet. Tantum quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse. Multa tibi non licent, quæ humilibus, & in angulo tacentibus licent*. Plini Junioris (z): *Felicitatis est, quantum velis posse. Magnitudinis est velle quantum possis*. Et Juvenalis (a), rectè docentis, nihil esse violentius Aure Tyranni, cui illud semper in promptu:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

20 Cum potius vel Erasmo (b) ultra plurimos alios) monente justorum Principum, ut & Philosophorum, propria virtus, & laus esse debeat: *Moderari affectibus, ac rationis ductum in omnibus sequi*. Quod qui ignorat, Rex verus verè dici non poterit, juxta Claudiani, & aliorum documenta, quæ jam alio loco (c) recensui, & in hoc commodè repeti possunt.

(b) Sarsb. in Polierat. lib. 3. cap. 12.

(i) Erasmi. in Adag. pag. 118.

(k) Camerar. lib. 26. Moral. cap. 7. & cap. 66.

(l) D. Gregor. lib. 26. Moral.

(m) Quintil. in Milit. Mariano.

(n) Sallust. in Catilin.

(o) Sueton. in Calig. cap. & in Neron. cap. 37.

(p) Spart. in Caracalla, latè Crinit. lib. 6. cap. 5.

(q) Herod. lib. 2.

(r) Sallust. in Jugurthin. cap. 31.

(s) Philip. in epist. ad Cardin. apud Filer. de Idololat.

Polit. cap. 2. pag. 15.

(t) J. C. in l. non omne, de reg. jur. cum siml.

(u) Senec. in Troad. Act. 2.

(x) Claud. in 4. Cons. Honor.

(y) Senec. Tragic. in Troad. Alter. epist. 91. & de Consol. ad Polyb. cap. 26.

(z) Plin. Jun. in Paneg. ad Trajan.

(a) Juvenal. Satyr. 4.

(b) Erasmi. in Adag. Scarab. Aquilam, pag. 719.

(c) Sup. Emblem. XVI.

21 Etenim in hac de se ipsis victoria, tota Regum virtus, & commendatio consistit, & rectè idcirco dixit, ille qui dixit:

*Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mænia, nec virtus altior ire potest.*

Et Plato (d), dum ait: *Omnium victoriarum banc esse tum primam, tum propriam*. A quò habuit Horatius (e), quatenus uno loco inquit:

*Latius regnes, avidum domando
Spiritus quàm si Lybiam remotis
Gadibus jungas: & uterque Pænus
Serviat uni.*

Et in alio (f),

*Animam rege, qui nisi pareat,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.*

Mens quippè est ad cujus præscriptum dirigendæ sunt functiones animi. Quo nomine sæpius voluptas capitur, ut Plautus (g) ostendit: *Tu si animum vicisti, potius quàm animus, te, est quod gaudeas*.

22 Et hæc victoria, in oculorum continentia erga filias Darii, eximia pulchritudine virgines, quas captivas tenebat, magis Alexandrum Magnum, testante (h) Curtio, quam reliquæ commendavit, ut & Scipionem Africanum similis alia, cum Indibilis sponsa, de qua latius Valerius Maximus (i) agit, & Plutarchus (k), ejusdem per totam vitam eximiam in se ipso vincendo continentiam, & fortitudinem laudans.

23 Debent quippè, qui speculum de quo agimus representant, omni prorsus quantumvis levi macula carere, & undique se illasos præstare, talique candore excellere, ut ne in minutissimis quidem ab eo, Regiæque Majestatis, ac dignitatis decore degenerent; & omnino etiã in rebus minimis à mendacio vacent. Nam ut in Proverbiis (l) habetur: *Non decent stultam verba composita: nec Principem labium mentiens*.

24 Quod etiam monuit Rex noster Alfonsus X. dum in quadam ex suis septem Partitis legibus (m) ait: *Otrosi los Reyes que tienen el lugar de Dios en la tierra, é á quien pertenece de guardar mucho la verdad, deben parar mientes, que no sean contra ella, diciendo palabras mentirosas*. Et Basilius Imperator (n) sic Leonem filium commonefaciens: *Maximi pendito, & veracem te esse, & veraces homines in familiaritatem tuam admittere; ita enim & firmus, & constans in omnibus factis, & dictis existimaberis, ac veram, & non suspectam tuorum erga te benevolentiam retinebis. Si autem in mendatiis, & vanitatis suspicionem veneris, indigna facere Imperatoria majestate, qua ausus es, convinceris, efficiesque, ut subjeçti semper formidolosi, rerumque omnium incerti, & titubantes vacillent*.

25 Divus etiam Thomas (o) multus est in hoc Mendacii vitio Principibus dissuadendo, quod Aristoteles servorum vitium esse dixit. Illudque idèd generosis & ingenuis Principibus, ut venenum fugiendum, & ut adulterinam monetam: *Nam Princeps (inquit p) mendax, parvi valoris est, & cum non velit unum de denariis suis esse falsum, se hoc uno denario viliores videtur habere, si se ipsum falsum, & mendacem exhibeat*.

26 Quod idèd in præsentiarum pungere volui, quoniam multos nostri temporis Politicos video, qui Platonis (q), & Xenophontis (r) sententiam sequuti, Deum quidem, quia nemine egeat, mendacio quoque non egere dicant. Principibus verò viris, cum pluribus egeant, aliquando non solum permissum, verùm & necessariam mendacium esse videri, quatenus ad bonum commune dirigitur. Hæc enim doctrina procul à Christianis Principibus esse debet, quòrum norma Christus est, qui, ut Divus Joannes Apostolus (s) inquit, *veritas appellatur, & legem suam in veritatis base constituit*.

27 Unde illam, tanquam erroneam, meritò pluribus rationibus, & argumentis Joannes Marquez (t) exagitat, & novissimus Noster Saavedra (u), docens, simulationem aliquando

V 2

(d) Plato lib. 1. de leg.

(e) Horat. lib. 2. Od. 2.

(f) Idem epist. 2. lib. 1.

(g) Plaut. in Trinummio.

(h) Curtius lib. 4. Camerar. lib. 3. cap. 69. pag. 251.

(i) Valer. lib. 4. cap. 3. §. 1. Livius lib. 16. Gellius 6.

(k) Plutarc. in Polit.

(l) Proverb. 16. 7.

(m) L. 3. tit. 4. part. 2.

(n) Basil. Imperat. in exh. ad fil. cap. 29.

(o) D. Thom. de Regim. Princ. lib.

(p) Aristot. lib. 4. Eth.

(q) Plato lib. 2. & 5. de Rep.

(r) Xenophon. lib. 4. de dict. & fact. Socrat.

(s) Joan. 14. 6. & in epist. 1. cap. 5. 6.

(t) Marq. in Gubern. Christi. lib. 1. cap. 14. & lib. 2.

cap. 8.

(u) Saaved. Emp. 43. ex pag. 285.

mendacium verò apertum, numquam Reges decere. Quod & ad ipsorum Regum legatos extendit D. Christophorus de Benavente & Benavides (x), Comes del Fontanar, (nobis, heu, hoc quo hæc scribimus tempore, fatis ereptus) & Ego (y) multis alibi adstruo, ex Divo Augustino, & aliis copiose probans, non licere cuiquam, etiam pro totius mundi salute mentiri. Indorumque sapientibus, Persis, & aliis, ita insitum fuisse videtur, ut nihil æquè, ac mendacium punierint, & ter de eo convictos, ad nullum Reipublicæ munus admittendos censuerint, ut Xenophon (z), Diodorus Siculus (a), Philostratus (b), & alii (c) testantur.

28 Et ex his etiam colligi potest, quid sentire debeamus de nefario illo Lisandri dicto, quo docere solitus erat, ut Plutarc. (d) commemorat, Reges & Imperatores non teneri ad fidem datam, vel promissionem etiam iurejurando munitam, observandam; si id sibi expediens non fuerit, & ut pueros astragalus, vel taxilis, ita eos, quibus cum ejusmodi fœdera ferunt, juramentis eludere posse. Nam licet hunc errorem Machiavellus etiam nostris temporibus suscitaverit, & in eundem (quod magis est) Hieronymus Ossorius (e) incidere videatur, dum consultit, posse Principes sæpè, pro Regni sui salute conservanda mentiri, & fidem datam violare, ne dum fidei gloriam quaerunt, nomen sapientiæ, & sanitatis amittant. Contrarium tamen certius, & receptius est, ut pluribus Petrus Surdus (f), & Vincentius Cabotius (g), post alios (h) ostendunt. Nihil enim est quod in Principibus magis eminere debeat, quam dictorum, promissorumque constantia, & veritas, ac fides etiam hostibus data, & nudo verbo promissa, quod apud eos tantum valere debere, quantum in aliis jus jurandum Alfonsus Aragonum Rex dixisse narratur (i).

29 Cujus dictum commentans Æneas Sylvius (k) addit, animo Principes, non alia quavis arte obstringi posse, & graviter dolet, hodie certiora esse meretricum, quam Regum promissa. Et Georgius Acacius (l) refert D. Imper. Carolum V. similiter dixisse, fidem à terris exultantem, apud Imperatores hospitium invenire debere. Sed præstat Guntherici (m) carmen subnectere, qui Fridericum I. Imperatorem inducit, in hæc verba populo, qui ab eo quasdam pactiones jurari petebat, respondentem:

Juramenta petis? Regem jurare minori
Turpe reor: Nudo jus, & reverentia verbo
Regis inesse solet; quocvis juramine major.
Non decet in labiis versari lubrica Regis,
Non decet ore sacro mendaciã cudere Regem:
Sancta & plena suo sunt Regia pondere verba,
Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.
Ergo quod instigas jurando jure pacisci,
Pone metum curæ, vel non juratos habeo, &c.

In idemque tendunt vulgatæ illæ, & quotidie in Tribunalibus personantes Baldi (n) sententiæ, quod Principibus maxime conveniunt verba illa, quæ de Deo in Sacra Pagina proferuntur, semel loquutus est Deus, quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita: & quod Princeps debet habere unum calumnum, & unam linguam, & esse immobilis in promissis, & verbis ori sui, instar lapidis angularis, vel sicut Polus in Cælo. Quas referens, & illustrans Rolandus (o) à Valle æquè asseveranter concludit: *Fidem fallere gravibus grave esse, gravioribus gravius, & viris exemplaribus gravissimum, idèdque in Regibus, & Principibus plusquam gravissimum.*


EM-

(x) Benav. in adv. Princip. & Legat. cap. 21. per totum.
(y) Ego 1. tom. lib. 2. cap. 14. num. 15.
(z) Xenophon. in Cyrip. lib. 3.
(a) Diodor. lib. 3. cap. 10.
(b) Philos. lib. 2.
(c) Arrian. lib. 3. Heraclid. de polit. lib. 1.
(d) Plut. & Probus in vita Lyrand. Tull. 1. Off.
(e) Ossor. de Reg. instit. lib. 1. in fin.
(f) Surd. multis relatis decis. 234. per tot.

(g) Cabot. 2. disp. cap. 13. & seqq.
(h) Warem de fœderib. lib. 2. ex num. 165.
(i) Panorm. de dict. & fact. Alfons. lib. 1.
(k) Sylv. in Addit.
(l) Acacius de privil. jur. civil. lib. 3. cap. 8.
(m) Gunt. in Ligurino lib. 3. fol. 81.
(n) Bald. cons. 327. lib. 1.
(o) Roland. cons. 2. num. 150. lib. 1. & cons. 1. num. 34. lib. 2.

EMBLEMA XXIX.

SCEPTRUM IMITATIO POTENTISSIMA.



Discolor ut pecudi virga obversata sub undis
Vellere sit soboles versicolore facit.
Sic quibus imbueris Regalia Sceptra, colores
Imbuet exemplum plebs meditata Ducis.

COMMENTARIUS.

1 **H**OC Emblema superioris auctarium vel consecrarium esse poterit. Nam cum Principem non solum sibi, verum & suis, speculum esse debere dixerimus, eundem nunc, ut magis purum, tersum atque illæsum se illis præbere studeat, vel ex eo admonemus, quod nihil potentius efficaciusque ad subditorum mores dirigendos, & componendos, quam vita & exemplum ipsorum Principum reperiat. Nam ut Tullius (a) ait: *Studiosè plerique facta Principum imitantur.* Et juxta Livii (b) sententiam: *Ipsi se homines, in Regis, velut unict exempli mores formant.*

2 Sumitur autem ex historia Genesis (c), ubi cum Jacob cum Laban socero desortiens, sibi que sumendis maculosis ovium partibus pepigisset, & aliis socero relinquendis, virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis sumpsit, easque ex parte decorticavit, detractisque corticibus, in iis quæ spoliata fuerunt, candor aparuit; illa verò quæ integra fuerant, virida permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus ubi effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumque est, ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, & parent maculosa, & varia, & diverso colore respersa. Quemadmodum è contrario, nigra in totum, vel alba, quæ in contemplatione virgarum in totum albarum, vel nigrarum concepta erant.

3 Quod, licet quantum ad historiam pertinet, ex naturali Philosophia fundari possit, quæ do-

(a) Tull. 1. Offic.
(b) Livius.

(c) Genes. 30. 34. & seqq.

docet, quam efficax imaginandi vis in tempore conceptionis, tam in mulieribus, quam in pecudibus, de qua multi (d) multas rationes, & exempla passim aducunt, & praesertim Divus Hieronymus, de pulchris inde nostrae Hispaniae equis & equabus sermonem habens.

4 Quoad Mysticum tamen sensum, cum varias ille locus habeat applicationes, eam Ego ad praesens Emblema formandum delegi, quam doctissimus Hector Pintus (e) his verbis proponit: *Quemadmodum qualis erat color virgarum Jacob, talis erat color pecorum, quae nascebantur ex ovibus in aspectu virgarum concipientibus. Quales sunt Regis actiones, tales solent subditis cogitationes concipere. Jacob est Princeps, virgae sunt ejus opera, oves subditi, conceptus, cogitationes.* Eamdemque Pinto non citato, his verbis clausit noster Pat. Eusebius Noriemburgius (f): *Sceptra mihi videntur sicut Jacobi virgae, pro ipsarum colore induent mores subditi.*

5 Cui Ego addo in sacra Pagina saepe virgam pro Sceptro sumi solere, juxta illud Jeremia (g): *Virgam vigilantem ego video;* ubi D. Hieronymus inquit, Septuaginta Interpretes pro virga, Sceptrum, sive baculum transtulisse. Idemque sensus ab omnibus interpretibus datur verbis David (h): *Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion;* & aliis quae expendit Clemens Alexandrinus (i), & similiter virgis, quas Deus accipere jussit Principes duodecim tribuum, quando eas divisit (k). Quas omnes & amydalinas fuisse constat, ut & illas Jacobi, easque cum virga Aaron reponi in tabernaculo jussas. Neque abest Prudentius dum cecinit (l):

*Regnum per omne jussus
Sacram tenere virgam.*

Et alii, quos alibi (m), de virgis Magistratum loquentes, adducemus; & ad saturitatem noster D. Antonius Cabrerus (n) congescit.

6 Porro ad efficaciam exempli, & imitationis Regum in populis sibi subjectis: & quod magis ipsorum facta, quam leges, & edicta in componendis, & corrigendis subditorum moribus operentur, quia locus communis, & vulgatissimus est, contentus ero multis, quae ad ejus illustrationem adducere possem, selectiora aliqua recensere. Initium à Claudiani (o) carminibus sumens, quae licet notissima sint, ob sui elegantiam omitti non possunt:

*In commune jubes si quid, censesve tenendum
Primus jussa subi; tunc observantior equi
Fit populus, nec ferre negat: cum viderit ipsum
Auctorem parare sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Homonos edicta valent, ut vita Regentis
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Qui ultimus versus, tam in Adagium transiisse videtur, ut constat ex nova eorum collectione, ubi similia sunt: *Sic Reges faciunt. Novus Rex, nova lex. Theramenes coturnus, Dum caput dolet, cetera membra dolent.* In quorum expositione Erasmus, Cognatus (p), & alii, plura notarunt.

7 A quibus non longè absunt illa, quae in sacra pagina (q) habentur: *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios,* quibus in locis Expositores alia notarunt.

8 Et fuit nobilis, & antiqua doctrina Platonis (r) dum monuit: *Plerumque accidit, ut ii qui subsunt, mores eorum exprimant, sub quorum Imperio degunt.* In qua tamen, illud Plerumque, Ego tollendum censerem. Nam non plerumque, sed semper hoc contingere solet, ut Herodianus (s) testatur; & D. Chrysost. (t) inquit: *Solet enim civium multitudo suorum Principum mores tanquam exemplar aliquod intueri, & ad illorum ratione se se effingere.* Et Casiodorus (u), dum non minus graviter, quam audacter scripsit: *Publici decoris mater est mens Regentis: & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aspectum.* Facilius est quip-

(d) Valles de sacra Philos. cap. 11. Pet. Merser. & alii in d. loc. Gen. Levinus de occ. nat. mirac. lib. 4. Alciat. in l. queres, de verbor. signif. Theat. verb. Imaginatio, Camerar. 1. subdit. cap. 54. Petr. Mex. in Synt. var. lib. 2. par. cap. 8.

(e) Pint. in Ezech. cap. 17.

(f) Noriemb. in Theopoli. tom. 2. part. 2. lib. 3. pagin. 566.

(g) Jerem. 2.

(h) David. Psalm. 109.

(i) Clem. Alex. 1. Pädag. cap. 7.

(k) Numer. 17.

(l) Prudentius.

(m) Inf. Emblem. 65.

(n) Cabrer. de metu, lib. 2. cap. 15. ex num. 4.

(o) Claud. in 4. Cons. Honor.

(p) Erasmi & Cognat. in Adag. pag. mihi 518.

(q) Eccles. cap. 10. v. 2. Proverb. 29. 12.

(r) Plat. lib. 8. de Rep.

(s) Herodian. lib. 4.

(t) D. Chrysost. de Sacerd. serm. 3. cap. 14.

(u) Cassiod. lib. 3. epist. 12.

pè (si dicere fas est) errare Naturam, quam dissimilem sui Princeps possit formare Republicam.

9 Unde Trajanus pro symbolo habuisse dicitur, *Qualis Rex, talis Grex.* Et de eodem agens, Plinius Junior (x), hanc censuram perpetuam & indesinentem vocavit, sic inquit. *Nam vita Principis censura est, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc componimur. Non tam imperio nobis est, quam exemplo. Flexibiles quancunque in partem ducimur à Principe, atque ut ita dicam sequaces sumus, huic enim cari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverunt dissimiles: eoque obsequii continuatione pervenimus, ut propè omnes homines unius moribus vivamus.* Et Martialis (y) Aulæ naturam, his verbis:

*Nemo suos, hæc est aule natura potentis,
Sed domini mores, Cesarianus, habet.*

10 Claudianus (z) quoque eleganti comparatione usus, ducum mores, castra, non minus, quam lituos, sequi, sic ait:

*Scilicet in vulgus manant exempla Regentium
Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.*

Et Sidonius (a) laudans Majorianum:

*—Sic agmina voce
Exigis, exemploque levās, primusque labores
Aggrederis quoscunque jubes: tunc cetera parat
Turba lubens, servit propriis cum legibus auctor.*

Quos sequens, sive imitari volens Michael Verrinus (b) hoc inter alia sua, Distichum exaravit:

*Si studia & mores populi cognoscere curas?
Res facilis: vitam Principis inspicias.*

Quod etiam eisdem verbis positum inventio inter Monasticha Ethica Joannis Oveni (c), emphaticeque Galli hoc proverbio claudere solent:

*Les suites è les provinces,
Sui vent les moe urs de leus Princes.*

11 Et Hector Pintus (d) hac comparatione egregie declarat: *Quemadmodum mare, praesertim Mediterraneum, aerem imitatur, ut si aer est tranquillus, viget maris tranquillitas, si procellosus, est etiam mare procellis exagitatum: sic populus Regem plerumque sequitur: si Princeps est justus, colunt subditi justitiam; si vero est sceleribus cooperatus, ipsa scelera amplectuntur. Meritò igitur fuit à viris sapientibus observatum, esse populum Principis umbram. Cui aridit alia Erasmi (e), qui ait: *Nulla vis fatalis, nullus Cometes sic afficit res mortaliū, ut vita Principum rapit ac transformat mores & animos civium.**

12 Ut vel sic appareat, quam sit verum id, quod Velejus Patercululus (f) tradit, Principem scilicet optimum, cives suos rectè facere, faciendo docere, cumque sit Imperio maximus, exemplo majorem esse. Unde inquit Panormitanus (g) Alfonso Aragonis Regem dicere solitum: *Magnum quidem esse adversus hostem se Ducem Principem exhibere: sed & aliud maximum, ad omnem virtutem suis civibus Ducem esse.* Et illum Regulam suorum civium meritò appellavit Plutarchus (h), his verbis elegantissimis utens: *Oportet, ut quemadmodum amussis, cum planè recta, & minime perversa fabricata est, reliqua quibus admovetur, & applicatur, dirigit: similiter quoque Principem, uoi primum didicerit imperare sibi ipsi, & animum suum rectè instituerit, & mores habuerit benè compositos, ita demum subditos regere. Neque enim cadentis est currere; aut incompositi componere, aut parere nescit est imperare.*

13 Et alibi, ob hanc sequelam, & imitationem, inquit, quod Reges, si musicam ament, multos efficiunt musicos, si literas, literatos, si athletas, exercitationibus corporis deductos. Et Cicero (i), vel ex hac ratione hortatur Principes, ut à vitis abstineat, quia non solum sibi, (ut in privatis contigit) verum & toti Republicæ peccant, dum in eam propriam sua vitia infundunt, per multosque sui imitatores habent, & plus exemplo, quam peccato nocent.

14 Quem locum imitatus D. Gregorius Nazianzenus (k), in Christianis gubernatoribus puram vitam requirit: *Sin minus (inquit) tanto majus erit malum, quanto pluribus praesuerit, si quidem major est, quae ad plures manat, quam quae in uno vertitur improbitas.* Non enim tam

(x) Plin. Jun. in Paneg. ad Trajan.

(y) Mart. lib. 9. epig. 81.

(z) Claud. lib. 1. de laud. Stil.

(a) Sidon. Apoll. carm. 5.

(b) Verin. in Distich.

(c) Oven. in Monast. 72.

(d) Pint. Ezech. cap. 20.

(e) Erasmi de Princip. instit.

(f) Paterc. in hist. Rode Aug. Cas.

(g) Panorm. lib. 4.

(h) Idem Plut. in lib. de praec. conjug.

(i) Cicer. lib. 3. de leg.

(k) Nazianz. in Apolog. pag. mihi 24.

facile vel pannus indelebilem tincturam, vel tetrum suavemve odorem res proprius admota recipiant; neque tam cito perniciosus aliquis vapor in aerem diffunditur, diffusisque adhaerescit animantibus (quod sane pestilentia est & dicitur) quam solet principum vitiis insci tota civitas. Et quidem multo facilius vitiis, quam virtutibus, hoc enim maxime superior est probitate improbitas, & hoc ego in primis molestè fero, quòd video, vitium quidem multos habere imitatores, & sectatores, nec quicquam esse tam facile, quam improbum fieri, vel nullo impellente; virtutis verò acquirendae studiosos esse per paucos, ac difficulter admodum posse quemquam ad eam pervenire, etiam si multi sint, qui trahant, atque invitent.

16 Quod ultimum, optimè etiam praesensit Seneca (l), dum dixit: Cito nequitia subrepat, virtus difficilis inventu est, etiam sine magistro vitia discuntur. Juvenalis (m).

Quoniam faciles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus.

Et latius exposuit D. Hieronymus (n) inquiens: Proclivis enim est malorum emulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitatis vitia: Quid mirum? Vitium profecto praesentibus utens voluptatibus, facile ad se allicit perosque, virtus autem laboriosa atque ardua incedens via, paucos admodum habet sectatores.

17 Huic rationi illa etiam accedit, quòd vel ad conciliandam suis legibus, jussis, & edictis auctoritatem, & vigorem, & vigorem, necesse est, ut Princeps, quae jubet & sancit, prius opere compleat, & à se ipso disciplinam incohet: nam aliàs ut Claudianus (o) insinuat in loco supra relato frigent jussa, quantumvis egregia, quae in jubentibus virtutum societate destituntur, & ut praclare inquit Plautus (p):

Qui alterum incusat vitii, cum ipsum se intueri necessum est.

Et Seneca (q):

Rex velit honesta, nemo non haec eadem volet.

18 Unde & Tertullianus (r), non minus rectè: Oportet (inquit) commendationem alicujus rei adertos ipsos prius in administratione ejus rei deprehendi, ne dicta, factis deficientibus erubescant. Et Cassiodorus (s), tum saepe, tum in formula Reftoris provinciae, illum monet, ut sit vitae continens, ut in alios iudex esse possit, & signanter subjungit: Prima aequitas est à se Praesules inchoare, ut debeant criminosi metuere, quem nequeunt similem reperire. Nullas enim in se culpas timet reus, quas habere respexerit Cognitorem: quando agentem malè, nisi bonis moribus non aestimet displicere. Suos auctus nullus damnat in altero, quia natura est humani animi, ut nitatur potius vindicare, quod se cognoverit admisisse, &c.

19 Et iterum ad Senatum Romanum scribens, sub nomine Theodorici Regis, sic habet (t): Facilis enim recti persuasor est innocens iudex, sub cujus praedicabili conversatione pudet mores probabiles non habere: Quis enim vereatur scelus, cujus in suggestu gremii complicem videt? In cassum personam fidei severitatis inducit, cum avarus pecuniae ambitum dissuadet, cum legibus parendum censet inustus. Non habet distributionis gremium, cui auctoritatem libera conscientia non ministrat, quoniam excessus tunc sunt in formidine, cum creduntur iudicibus displicere.

20 Et alibi (u), adhuc magis ad rem de qua agimus, & qualiter vel Rex ipse in se continentiam exhibere debeat, ut eam possit suis militibus imperare, ita loquitur: Ostendimus in vobis, Deo juvante, continentiam, ut eam militibus sine pudore imperare possimus. Non enim potest auctoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplo: dum iniquum sit bona praecipere, & talia non fecisse.

21 In quam etiam sententiam tendens Quintilianus (x), verissimè, & gravissimè dixit: Tacitam hanc legem, hanc conditionem Principum esse, ut quicquid faciant praecipere videantur, Et Latinus Paccatus (y) suum Theodosium laudans, quòd nimiam luxum in Imperio introductum, parsimoniae suae exemplo moderatus fuerit, hoc, plus longè legum minis efecisse inquit, neminemque molestè ferre potuisse, ad Principis semet modum coërceri, additque: Hinc certatim in omnes luxuriae pudor, parsimoniae cursus inolevit, & quiescentibus legum minis, subitit quandoque privatim sui poenitentia. Sic est enim, sic est exasperat homines imperata correctio: blandissimè jubetur exemplo.

Un-

(l) Senec. lib. 3. natur. quest. in fine.
(m) Juven. satyr. 14.
(n) D. Hieron. in epist. ad Latam.
(o) Claud. ubi sup.
(p) Plaut. in Truc.
(q) Senec. in Thierst. 1. Scen. 1.

(r) Tertull. de patient. lib. 1.
(s) Cassiod. lib. 6. epist. 21.
(t) Idem lib. 1. epist. 4.
(u) Idem lib. 11. epist. 8.
(x) Quintil. in declamation.
(y) Paccat. in Paneg. ad Theodos.

22 Unde Clemens Alexandrinus (z) eum, qui legem, quam tulit, implet, Legem animatam, & armatam vocavit. Et Theodoretus (a) elegantissimè: Legislatoris (inquit) exemplum, officiosa legis praecipio est; lex quae obeditur friget in charta, institutoris exemplo calet in opere.

23 Cum quibus convenit novissimum, sed venustissimum, Oveni (b) Epigramma ad Jacobum Angliae Regem:

O quanta exempli generoso in Principe vis est;
Tu vitando vetas, tu faciendo jubes
Princeps principum motus: Rex regula vitae
Circumfert talium sydera, Rex populum.

24 Plura alia loca & exempla ad hoc eidem suadendum & illustrandum Justus Lipsius (c), & alii passim Scriptores (d) allegant, sed ego supra dictis contentus, Tacitum (e) addo, qui postquam Imperatorem Vespasianum propter sobrium vivendi rationem à se introductam, auctorem sobrietatis appellavit, hanc egregiam doctrinam addit: Obsequium inde in Principem, & emulandi amor, validior quam poena ex legibus, & metus. Et Div. Ambrosium (f), qui ait, Valentinianum juniorem, Romanos adolescentes, qui quamdam scenicam ob pulchritudinem deperibant, ea ad se venire jussa, & despecta potius quam adspecta sua continentia refrenasse, & mandato, ab illa abstinendi, majorem vim praestitisse.

25 Extat quoque inter Sanazarum (g) Poemata Epigramma quoddam ad Federicum Neapolitanum Regem, quo, quam potens sit hoc jubendi genus, ita dilucidè comprehendit:

Edicto nuper cum tu, Rex magne, caveres,
Audaci ne quis stringeret arma manu:
Deposuisse tuam vel primus diceris ense,
Et monstrasse palam primus inerme latus;
Quid majus populisve tuis, Federice, vel urbi
Accidere huic nostrae per tua dona potest?
Post donitos hostes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere posse tuis.
Publica nimirum res tunc sibi constant, & equum
Imperium, cum Rex, quod jubet ipse facit.

26 Certè etenim tum in aliis, tum maxime in rebus ad corporis habitum, ac vestitum pertinentibus, haec Regum, de qua agimus imitatio, potentissima esse solet. Aded, ut Diodorus Siculus (h) scribat, Aethiopiis morem fuisse, ut si quando Rex aliqua corporis parte ex quavis causa debilitaretur, domestici omnes sponte sua eandem partem debilitarent. Turpe enim existimabant, Rege claudò, non omnes ejus amicos claudos esse, cum verè sit amicitia ex rebus adversis amicorum dolere, laetari secundis.

27 Quod & ipsum in comarum sive capillorum tonsione, in Germania, ad imitationem Philippi Boni Ducis Burgundiae, in Gallia ad Regis Francisci I. in Anglia ad Regis Henrici VIII. Joannes Bodinus (i), & Philippus Camerarius (k) contigisse commemorant. Nam licet alias haec, ut & aliae plures nationes, comam alere in more habuerint, & de ejus prolixitate gaudere, ut idem Camerarius observat, & ante eum latè Hadrianus Junius, Antonius Hottomanus (l), Alexander (m) ab Alexandro, Laelius Bisciola (n), & plures alii, quos Ego alibi (o) diligenter congressi, ubi tamen praedicti Reges eam, ob capitis gravedinem, vel aliis de causis deposuerunt, subditi statim similem morem sequuti sunt, prout & in nostra Hispania observatum fuit, ad imitationem invicti Caesaris Caroli V. quousque viginti ab hinc annis paulatim contraria consuetudo, ex Gallis ad Nostros translata, serpere coepit.

28 Quam quidem Ego non prorsus improbarem, si intra debitae moderationis metas contineretur. Nec enim ignoro quantum decoris & ornatus coma reliquo corpori addat, ut plures (p) pluribus prosequuntur. Inter quos Div. Ambrosius (q) numeratur, dum dixit: C-

X

(z) Clem. Alexand. lib. 1. Strom.

(a) Theodoret.

(b) Oven. lib. antic. Epig. 113. pag. 113.

(c) Lips. 2. Polit. cap. Imp. insp. Princip. fig. 62. numer. 8.

(d) Pifa in Eccles. 1. tom. pag. 102. & 525. Pined. in Job. 1. tom. pag. 39. Torres in Phil. mor. Princip. lib. 3. cap. 14. & 15. Acacius de privit. jur. lib. 3. cap. 8. Camer. 1. tom. subcit. cap. 66.

(e) Tacit. Ann. 3. cap. 55.

(f) D. Ambros. in Conc. funeb. de Valent. Jun.

(g) Sanazar. in Epigr.

(h) Diodor. Sicul. lib. 4. Bibliot.

(i) Bodin. lib. 4. de Repub. cap. 6.

(k) Camer. subcit. cent. 2. cap. 40. & cent. 3. cap. 96.

(l) Jun. & Hottom. in Tractat. de Coma.

(m) Alexand. & Liraq. lib. 5. cap. 18.

(n) Bisciola. lib. 7. subcit. cap. 5.

(o) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 24. num. 32.

(p) Jun. & Hott. rap. Lipsius ad Tacit. cap. 14. & plures alii apud Me sup. d. cap. num. 33. & D. Anton. Cabreris in tract. de Metu lib. 2. cap. 28. per tot.

(q) D. Ambros. lib. 5. Hexam.

mam reverendam esse in senibus, venerabilem in Sacerdotibus, decoram in adolescentibus, comam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum tota pulchritudo flarescit. Postquam tamen eò res processit, ut oneris sit quod honoris esse deberet, & in capillamenti prolixitate, crispatione, & circinatione, tota quasi dignitas & cura, non à Nobilibus tantum viris, verum & à plebeis & mechanicis hominibus constitui cepit, justè sanè ejusmodi excessus, & abusus à Me (r), & doctis aliis cordatisque viris (s) reprehendi potuit.

29 Et à D. etiam Ambrosio (t), qui alioqui comam laudavit, reprehensus reperitur, quatenus inquit: *Quam deforme autem virum facere opera muliebra? Ergo pariant, qui crispant comam ut femine, & tamen illæ vellantur. Verum habeant excusationem, qui patrios usus sequuntur, sed tamen barbaros, ut Persæ, ut Gotbi, ut Armenii: major quidem est natura, quam patria. Quem locum quidam nostri temporis Vates non invenustè egregio hoc Epigrammate adumbrase videtur:*

*Si vir, ubi virtus? Nemo sine viribus est vir.
Si vir, ubi virtus mascula digna viro?
Non vir: sed virus populi, exitiunque juventæ,
Cui te femineum non pudet esse marem?
Cui calamistrator discis crispare capillos?
Viribus indocilis, bellica ad arma rudis.
Pone ense jam, sune colam, trabe pollise fusum
Non sexus, sed virtus efficit esse virum.*

30 Extat etiam in ejusdem vitii detestationem mirabile factum Godefridi, Ambianensis Episcopi, apud Laurentium Landmeterium (u), & non minus notabile dictum in Actis Sancti Sebastiani. Ad cujus reformationem juxta nostri Emblematis monitum, nullum potentius, præsentiusvè edictum reperiri poterit, quam Regis, Procerumque aulae Regiæ exemplum, ut ex superioribus patet.

31 Quod etiam, quam potens esse soleat in iis, quæ ad materiam Religionis spectant, adeò, ut meritò in Adagium transire poterit, quòd *Cujus Regio est, ejus & Religio*, sive quòd Religio est sequela jurisdictionis, pluribus Ego alibi (x) etiam prosequor; & si quid est, quod addere liceat; videre poteris Sozomeum (y) & Theodoretum (z), qui quantum hac in re Arcadii & Honorii exemplum præstiterit, latè commemorant. Et Sanctus Joannes Damascenus (a), post Plutarchum in Numa, qui hujus exemplo docet, *Quod homines ad Religionem facillimè Principis ductu possunt emoliri, atque traduci.* Ut quondam Gallia vidit in suo Clodovæo, uxoris meritibus & monitis ad capessendam Christianam Fidem converso, ut Robertus Gaguinus, & alii illius Regni Scriptores enarrant; & Polonia in Jabellone Lituaniæ Rege, qui referente Cromero (b) anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, cum esset Gentilis, & appeteret conjugium Heduvigiis Regiæ Poloniæ, quæ Christiana erat, promissit, se pariter, & fratres, & gentem suam omnem Christianis mysteriis initiari. Et conditionibus acceptis, ipse baptizatus fuit, & in Baptismo *Uladistal* nomen accepit; & statim populus tanta contentione Baptismum appetebat, quòd cum immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantum hic honor habitus, reliquum verò vulgus turmatim distributum, lustrali aqua, sive sacra à Sacerdotibus conspersum est, unumque pro tunc nomen cuique turmæ, tam virorum, quam mulierum inditum. De qua Baptismi forma, quid sentiendum Ego (c) aliis relatis edissero.

EM

(r) Ego sup. ex num. 37.

(s) Navarrete in *discurs. polit.* 14. Acuña in *notis ad decret.* pag. 173. & 174. Alf. Carranza in *lib. contra los malos trages*, pag. 2. per tot. & alii.(t) D. Ambros. cap. 23. *Deuter. epist. ad Irem.*(u) Landmet. de *vet. Cler. lib. 1. part. 1. cap. 6. Ego sup. num. 44.*

(x) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 26. ex num. 38.

(y) Sozom. lib. 8. cap. 1.

(z) Theodor. lib. 5. cap. 29.

(a) Damasc. in *histor. Barlaham*, cap. 33.

(b) Cromer. lib. 15. pag. 355.

(c) Ego d. lib. 1. cap. 26. num. 39.

EMBLEMA XXX.
MAGNUS IN MAGNIS.



*Quam vanè Astrorum Divumque papilio Regem
Occupat, huic alas dum penecillus agit.
Ingentes animos, dignas fove concipe curas,
Unde ingens Princeps, quem leviora premunt?*

COMMENTARIUS.

1 **Q**UAM ergo tot sint ac tanta, quæ Reges ac Principes anxios, & sollicitos redere possint, si dignitati suæ, & orbis expectationi, ut oportet, responde re desiderant, eò impensius eisdem enitendum est, ut ipsorum animus Republicæ potius commodis, quam voluptatibus studeat, & in seriis curis, ac laboribus occupatus, omni nimio lusu, luxuque seposito, nihil jucundius, nihil voluptuosius sibi habeat, ac ducat, quam illius tranquillitatem, quam civium mores, quam legum auctoritatem. Hæc meditari, hæc procurare, hæc tueri, eorumder sit alea, lusus, venatus, & amores, qui numinis vice inter homines sunt, ad quorum nutum ut alibi inquit Seneca (a), tot hominum millia stringunt ferrum, & in mortem ruunt, à quorum providentia pendent tot urbes, tot regna, & quibus, hoc privilegium inter alia fortuna concessit, ut quodcuique mortalium datum velit, eorum ore pronuntiet, & ex eorum responsis latitiæ causas populi, urbisque concipiant. Unde secundus eundem Senecam (b), Fortunæ manus esse dicuntur.

2 Quod, ut ipsis Principibus insinuemus, hoc Emblema præfigimus, quod *Magnos in Magnis* occupari debere demonstrat, sumptum ex Momus (c), ad Luciani (d) imitationem, mordacitate, qui, ut plures tradunt, cum vanos suos Deos irrisisset, quos delusa Gentilium Antiquitas coluit, & quod magis dolendum est, in Christum etiam Dominum, ac servatorem nostrum impio & blasphemio ore bacchatus fuisset, propter quod à canibus discretus ac dilaniatus

X 2

(a) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 3.

(b) Idem de Constantia, cap. 8.

(c) Momus Alberti Floret. lib. 1.

(d) Lucian. in simili in Icaro Menip.